

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPI-
SCOPI NV CERINI
IN VITAS DVODECIM VICECO-
MITVM MEDIOLANI PRIN-
CIPVM PRAEFATIO.



ET VSTATEM nobilissimæ Vicecomitum familiae, qui ambitiosius à præalta Romanorum Cæsarum origine, Lōgobardisque Regibus deducto stemmate repetere contendunt, fabulosis penè initiis inuoluere videntur. Nos autem recentiora illustrioraque vti ab omnibus recepta sequemur, contentique erimus insigni memoria Heriprandi & Galuanii nepotis, qui eximia cum laude rei militaris, ciuilisque prudentiæ, Mediolani principem locum tenuerunt. Incidit Galuanus in id tempus quo Mediolanum à Federico Aenobarbo deletum est, vir summa rerum gestarum gloria, & quod in fatis fuit insigni calamitate memorabilis: captus enim & ad triumphum in Germaniã ductus fuisse traditur; Sed non multo post carceris catenas fregit, ingentique animi uirtute non semel cæsis Barbaris ultus iniurias Patriam restituit. Fuit hic ut Annales ferunt Othonis nepos, eius qui ab insigni pietate, magnitudineque animi, canente illo pernobili classico excitus ad sacrum bellum in Syriam contendit, communicatis scilicet consiliis atque opibus cum Guliermo Montisferrati Regulo, qui à proceritate corporis Longa spatha vocabatur, voluntariorum enim equitum ac peditum delectæ nobilitatis viginti milia, ad Boemundum à Brundusio transfretantem adduxere, ne Itali vel studio religionis, vel bellica laude Gallis inferiores esse viderentur. Cæterum Otho iam duobus asperrimis ad Nicæam atque Orontem præliis spectatæ virtutis famam cōsecutus, oppugnante demū Hierosolymas Gothifredo gloriosa totius exercitus acclamatione coronam promeruit, quum Volucem Saracenorum Ducem medio in campo ad singulare certamen fortissimum quenque ex Christiana acie prouocantem, ipse vnus ante alios nihil eius immanis Barbari ferocia, vel terribili insignium armorum specie permotus, fortiter atque feliciter deuicit, retulitque de confossi hostis galea opimū, plenumque immortalis gloria spolium, auritam scilicet Viperam complicatis spiris minaciter à cono cassidis erectam, & puerum passis manibus deuorantem. Quod unum auspicatæ virtutis argumentum, nō modo gentilitiæ laudis gestamen fuit, sed & posteris id insigne audacter vsurpantibus, & imperia, & opes, & late gloriam portendit. Fue-